



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

78. Consulendum esse &c. Decretum in causa Vacationis Decanatus Sacri Collegii Cardinalium die 28. Februarii 1721. habita fuit Congregatio Particularis in Mansionibus R. P. D. Auditoris sanctissimi, ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

præsertim Concilii Tridentini, possit inferior Prælatum Territorium separatam, & jurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem in Clerum, & Populum, cum ipsius Episcopi exclusione, in aliquo speciali loco acquirere per quadragenariam præscriptionem unâ cum titulo colorato: prædicti Eminentissimi Domini, & RR. PP. particularem Congregationem constituentes insimul congregati in adibus Eminentissimi Judice die 3. Januarij hujus anni 1721. post maturum, & diligentissimum materiæ examen, unanimiter responderunt non posse, sed pro acquisitione Territorii separati, prædictæque jurisdictionis, omnino requiri, aut clarum, & undequaque subsistens Apostolicum Privilegium, aut consuetudinem immemorabilem cum suis omnibus requisitis ritè probatam, per quam Apostolicum Privilegium de jure præsumi valeat. An autem admissio verò Apostolico Privilegio, de sui natura apto ad separationem Territorii, & concessionem jurisdictionis Ordinarie, quasi Episcopalis in Clerum, & Populum cum exclusione Episcopi in aliquo determinato loco, sed aliquam rationabilem dubietatem, aut disputationem admittente, subsequens uniformis quadragenaria, aut per aliud legitimum tempus continuata observantia favens Prælo inferiori in qualibet actu specie Ordinarie, & quasi Episcopalis jurisdictionis, deservire valeat pro dicti Apostolici Privilegii interpretatione, prædicti Eminentissimi Domini, & RR. PP. dixerunt id dependere à singulis casuum, & factorum circumstantiis, & sic dandum esse responsum à suis Judicibus super hac re in casibus particularibus. Factaque per me prædictorum omnium Sanctissimo Domino Nostro relatione, die 14. Januarii hoc anno 1721., Sanctitas Sua approbare dignata est, & præfens Decretum publicari mandavit.

Prosper de Lambertinis Sacræ Congreg.
Particularis Secretarius.

DECRETUM.

In Causa Vacationis Decanatus Sacri Collegii Cardinalium die 28. Februarii 1721. habita fuit Congregatio Particularis in Mansionibus R. P. D. Auditoris Sanctissimi, cui interfuerunt RR. PP. DD. Petra Secretarius Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, Mareus Auditor Sanctissimi, Lancetta, Cerrus, Herrera Sacræ Rotæ Auditores, Ansideus Assessor S. Officii, & Lambertinus Sacræ Congregationis Concilii, & hujus Particularis Congregationis Secretarius.

Omnesque unanimiter responderunt.

Consulendum esse Sanctissimo, quod declarare dignetur Decanatum Sac. Collegii Cardinalium devenisse vigore Bullæ V. san. mem. Pauli Quarti ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Tanarium, uti Episcopum Cardinalem antiquiorem in Curia præsentem tempore vacationis dicti Decanatus sequatur per obitum Cardinalis Fulvii Astallii, exclusis Episcopis Cardinalibus antiquioribus extra Curiam tempore dictæ vacationis commorantibus, non ex publicâ causâ, & destinatione Romani Pontificis, etsi residerent in Diœcesibus, quarum administrationem ex dispensatione Apostolica retinent, & ita servandum esse perpetuis futuris vacationibus.

Quo ad aliam verò controversiam inter EE. DD. Cardinalem Tanarium antiquiorem in Episcopatu, & juniorem in Cardinalatu, & Cardani-

lem Judicem juniorem in Episcopatu, sed antiquiorem in Cardinalatu, Causa non fuit propofita, attentâ cessione suo juri facta ab eodem Cardinali Judice, Dominique unanimiter dixerunt consulendum esse Sanctissimo, quod declarare dignetur ex hujusmodi cessione nullum in futuris Decanatus vacationibus censerî irrogatum fuisse præjudicium Cardinalibus similia jura foventibus.

Factaque eadem die per me infrascriptum Secretarium de præmissis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua Congregationis Sententiam quo ad utramque partem benignè approbavit, & perpetuis futuris temporibus servari mandavit.

Prosper de Lambertinis Secretarius.

PARS TERTIA.

Complectitur Edicta, Declarationes, & Decreta Memorabilia, quæ CLEMENTE XI. PONT. MAX. Ejusque auctoritate.

A Sacris Congregationibus Urbis.

Nempè S. Officii, Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Propagandæ Fidei, Immunitatis Ecclesiastica, Sacrorum Rituum, Indulgentiarum, Sacrarumque Reliquiarum, Indicis librorum prohibitorum, Disciplinæ Regularis, Visitationis Apostolicæ, Rerum Cæremonialium, Consultationis super negociis Status Ecclesiastici, & Reformationis Tribunalium ejusdem Urbis prodierunt.

Edicta, Decreta, & Acta Memorabilia Sacræ Congregationis Sanctæ Romanæ, ac Universalis Inquisitionis.

Juxta temporis seriem disposita.

DECRETUM

Quo Folia, seu Summaria inscripta, *Legæ spirituale de Viventi firmata cõ Morti*, damnantur cum aliis Ordinationibus.

Feria V. die 12. Julij 1703.

IN Congregatione Generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro D. Clemente Divinâ Providentiâ Papa XI. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republicâ Christianâ contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sanctâ Sede Apostolica specialiter deputatis.

Cum